

Ki  
2266



104  
D



J. M. H. num. 0.

2266

24

13

P. 197

V I R O  
 ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
 DOMINO  
 GEORGIO VVILHELMO  
 LIBERO S·R·G·I·BARONI  
 DE REINBABEN  
 DYNASTAE ROHRBACHII  
 SERENISSIMORVM ATQVE CELSISSIMORVM  
 PRINCIPVM  
 SAXO VINAR· COBVRG· ET SALFELDENSIS  
 INTIMO STATVS ADMINISTRO  
 CONSILII SANCTIORIS  
 ALIORVMQVE SVMMORVM COLLEGIORVM  
 PRAESIDI EMINENTISSIMO  
 ORDINIS SAXONICI EQVITVM VIGILANTIAE  
 EQVITI ET CANCELLARIO  
 HEROI IN TOGA SPLENDIDISSIMO  
 DOMINO AC MVSAGETAE SVO  
 GRATIOSISSIMO  
 NOVI ANNI AVSPICHS  
 VENERABVNDATA GRATVLTVR MENTE  
 SIMVLQVE  
 RETRACTVS GENTILICII MEDIO AEO VSITATI  
 MEMORIAM VERE GERMANICAM  
 EX VETVSTATE LEGVM  
 ERVIT TANTI NOMINIS  
 CVLTOR DEVOTISSIMVS  
 BERNH· FRIEDER· RVD· LAVHN  
 IVRIVM CVLTOR

Hi 2266

KONFRIED  
 UNIVERS.  
 ZVHALIE


---


VINARIAE LITTERIS MUMBACHIANIS CIO 19CC XXXVIII

V I R O  
ILLUSTRISSIMO A TOVE EXCELLENTISSIMO  
D O M I N O  
G E O R G I O V I L H E L M O

Nec domum uendere liceat, in  
qua defecit pater, minor creuit, in  
qua maiorum imagines aut uidere  
non fixas, aut reuulsas uidere fatis  
est lugubre. L:22 C: de administratione  
tutorum et curatorum

ORDINIS SAXONICI ELECTORUM VIGILANTIAE  
BOVI ET CANCELLARIO  
HIERI IN TOGA SPLENDIDISSIMO  
DOMINO AC MYSAGETAE SVO  
GRATIOSISSIMO  
NOVI ANNI A PRINCIPIS  
VENERABILIS CAUSAE MENTE  
SIMILIQUE  
RETRACTORIS CANCELLARIO SVO VERTALI  
MEMORAE SVO GERMANICAE  
ET BRIVIAE BRIVIAE  
ERAT TANTAE NOMINIS  
CAUSAE DEVOTISSIME  
BERNARDUS FRIEDERICUS RVD. LAVHNS  
LIVIVS CUSTOS  
VIRIBUS ET LIBRIS MAMMACHIANIS SVO SVO SVO





**E**t si uereor, Illustrissime atque Excel-  
lentissime Domine, ne turpe sit, me,  
hominem alioquin uerecundissi-  
mum, id sibi sumere, ut scripturae  
sane pertenui Illustrissimum TVVM nomen,  
tamquam primarium ac praecipuum decus,  
adoptem; minimeque deceat, quum ipse ma-  
gis de multarum prouinciarum salute quam  
de TVA labores, TE perturbari de concate-  
natis negotiis: tamen musa mea perquam  
exigua uellicauit aures oculosque meos, qui  
quocumque inciderint, gratiosum TVVM  
nempe uident uultum. Si qua etiam alia mi

A 2

hi sint opposita, contra excusationis legitima habeo causam nec non iustissimam, cur musae meae plenissimum praestare debeam obsequium, ut, quod tam iucundum quam decorum est, cederem tempori. Calendis apud Romanos creditores confectabantur nomina; unde Horatius eas uocat tristes, Ouidius celeres, quod cito nimis recurrere uiderentur debitoribus. Iam reuerterunt Calendae Ianuariae, sed illae minime mihi tristes, minime celeres, sed potius expectatae diuque exoptatae, ut, maxime TVO in aere existens, meae erga TE uenerationis pignus dare possim & monumentum. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, placuit TIBI, Gratiouissime Domine, ut gratia me TVA dignum haberes. Nihil igitur prius aut antiquius mihi semper fuit, quam ut temporis opportunitate uterer et gnaua sedulitate, quanta potero maxima, testari tam excelsae domui obsequium et meae pietati facere satis conniterer. Immensam atque prolixam ueneror aeterni numinis bonitatem, tantum mihi concedentis Maecena  
tem,

tem, quantus Augustus Virgilio atque Hora-  
tio, ut non percolere modo gratiosa audien-  
tia gratiam, sed et pietatis, quam Calendae po-  
scunt, testificatione publice satis TIBI facere  
queam castissima. Quanto fruor patrocínio,  
tanto acrior est uoluntas mentisque propo-  
situm demississimi animi significationem pro  
prolixo et benefico TVO in me adfectu de-  
pendendi. Quamuis uiribus, tantae gratula-  
tioni debitis, sim destitutus: tamen deesse  
mihi nolui, quin scriptura uoces uectigales,  
TVO Gloriosissimo Nomini debitas, hilari-  
ter persoluerem. Praeter scribendi genus  
curta mea supellex nihil possidet

§. 2

Cogitanti autem mihi, quod litteris facile  
expedire possim, in mentem uenerunt bona  
Germanorum eorumque conseruationis cura;  
quaeque dein retractui causam dederit genti-  
lici gentilicio. Quod inter iuris patrii reliquias  
hancce illustrem sim adgressus materiam, non  
mihi uitio uertas, uelim, Praeses Electissime,  
cuius quidem parietes ipsi ornatiore loquun-

A 3

tur ac solidiora, mihi que tritum illud possis  
dicere, γλαυκὴ εἰς Ἀθήνας: sed praeualere animum  
TIBI deuinctissimum TVA proluxa iussit hu  
manitas. Itaque formula pietatis uotiuae, in  
exordiis rerum agendarum necessariae (a),  
adgredior, quod uelim Dii adprobent

§ 3

Retractum  
suadet ci  
uilibus pru  
dentia

Familiarum (b) splendore potentatus dextra  
corroboratur; splendidissimis enim nationi  
bus, tamquam firmis fulcris atque colu  
mnis, nititur res publica. Qua uero in re familia  
rum robur magis consistere quirit, quam si ea  
rum conferuentur bona. Ast proprietates  
haud ullo modo facilius seruari queunt inte  
grae, quam si retractus, quem ciuilibus suadet  
prudentia, a legislatoria confirmetur potesta  
te (c). Ob necessarium eius in republica  
usum

(a) Plinii Panegyricus C. 1, § 1

(b) Quod ad familias nobiles doctorum adsertis hancce  
illustrat thesin L. B. de Lyncker diff. de familiarum  
illustrium splendore, thesi 35

(c) Non me in contrarium mouent speciosa quidem  
Leyseri uerba, quae reperiuntur in Vol. III Med. ad  
ff. Spec. 193, med. 2, p. 461, *Practerea*, inquit, *retra*  
*Bus*



usum communi fere gentium consuetudine  
esse fundatum, iurisque civilis plurium gen-  
tium (d) esse partem, quod usu exigente et  
humanis necessitatibus est introductum, o-  
mnes omnino sciunt, qui prima tantum de-  
gustarunt iuris elementa. Quantus sit anti-  
quae genti honos atque ornatus, si per pacis  
alcedonia auitos adhuc possidet lares pena-  
tas atque antiqua sepulcra? Quanta concipi-  
quit maiestas, si gentilicias habitat aedes;  
unde tanti heroes oriundi? Ille, ille inquam,  
optime intelliget atque cognoscet, qui de ea  
est familia, felicitate gaudente, qua bona per  
natorum series ad eiusdem sanguinis poste-  
ros sunt translata; contra deploratum natio-  
nis hac de caussa decrepescens statum maiori-  
cum moerore nullus potest describere, qui  
haud est passus aduersae fortunae manus, cu-

---

*Etus hic libertatem commerciorum magnopere turbat,  
multas uenditiones impedit, lites plurimas excitat at-  
que adeo odiosus est. Minor tamen defectus non tol-  
lit usum abusu maiorem. Moors in diff. de iure  
protimeseos S° 1, § 3, n° \*\*)*

*(d) Hahnus ad Wesenbecium de rescind. uendit. uerbo  
Retractu p° 1028, Moors c. loco S° 2, § 30, n° \*\*)*

ius dexteræ memoria eius animum excruciat maxime. Quamobrem quanti aestimanda possessio, quæ factis clara atque illustris, tanti, ut auro contra carior esse uideatur

§ 4

Quam se  
quanti Ger  
mani

Sic etiam uidemus magnam maiorum nostrorum pro conseruandis familiis laborantium sollicitudinem (e); eo ueniunt uaria instituta (f). Hinc maiorum nostrorum pro  
geni

---

(e) Mores, quibus alii populi sunt usi, dicere super se deo. Hoc tantum meminisse liceat, Sacro iam in Codice memorari quoddam retractus ius Leu' XXV, 25, Num' XXXVI, 9, Ruth III, 4, Ierem' XXXII, 7; cuius naturam, quam maxime a nostro retractus iure alienam, euoluit Boehmer in diss. de fundamento retractus duplicis in agris Hamburg' usit' C. I, § 7, Hahn ad Wesenb' c' 1°

(f) Masculi excludebant feminas a successione. Lex Saxonum tit' 7, L' 1, Ius Prou' Sax' L' 1, art' 17. Post ea filiarum renuntiationes ob iura peregrina sunt exortæ; quibus olim non erat opus, quum ipsi naturæ bonorum hic inesset effectus. Conf' quæ nuper erudite differuit Kemmerich in progr' de Institutis Germanorum ad conseruationem familiarum spectantibus

genitores bonorum praecipue curam adhibebant, ut singula domus ad tuendum honorem sit apta, quum terrarum erant cupidissimi (g)

§ 5

Nolo somniare ad exemplum Huld. Murtii (h), Germanos Lacedaemoniorum instituta esse sequutos, qui agros auitos, familiae cuius a republica adtributos, ad extraneos transferri non patiebantur (i). Nos originem uestigaturi, a Germanorum primordiis, quoad nota sunt, exordium faciemus

B

(g) Hoffmann in Specimine coniecturarum legum Germanicarum

(h) Qui Lib. XII rerum Germ. p. 705 fabulatur, Graecorum leges ab aliquo, qui philosophiam in Graecia audiuerat, in Saxoniam esse illatas. Quem sequi mihi uidetur Moors cit. diff. S. 2, § 30 n. \*\*) dicens: Ab Hebraeis postea ius idem ad Graecos et ab his ad Romanos peruenisse, rursusque a Romanis aliis gentibus communicatum, indeque ius hoc, Ciuile ius, plerarumque fere gentium factum esse uidetur

(i) Illustris Heineccius in elementis iuris Germanici To. I, L. 2, § 195, n. \*)

Germani  
in commu-  
nitione ui-  
uentes pro-  
prios non  
habebant  
agros

§ 6  
Primis quidem temporibus, promiscuo  
uiuendi genere utentes, fundos possidebant  
communiter; ideo nec certum agri modum  
aut fines pascuorum proprios habebant, nec  
in dominio priuatorum sed reipublicae erant  
possessiones

Confirma-  
tur testi-  
moniis

§ 7  
Nam Iulius Caesar (k), neque, inquit, quis  
quam agri modum certum aut fines proprios  
habet; sed magistratus ac principes in annos  
singulos gentibus cognationibusque homi-  
num, qui una coierunt, quantum eis et quo  
loco uisum est, adtribuunt agri atque anno  
post

---

(k) de bello Gallico L' VI, c' 22. De hac aequali agro-  
rum diuisione, apud Germanos solita, Cluverius in  
Germania antiqua senilis agapetae philosophiam  
imitatur, dicens: en quid loci putas, heic relictum  
esse prauis cupiditatibus ac uitiis? annon hoc aure-  
um fere fuit illud seculum? a rerum omnium do-  
mino, aeterno Dei filio, Iesu Christo, eiusque disci-  
pulis et apostolis instructos fuisse diceres: omnia inter  
bonos debere esse communia. Hoffmann in Speci-  
mine coniecturarum legum Germanicarum C' II,  
Per' II, §' 4, n' a) p' 15

post alio transire cogunt. Et Tacitus, grauis  
simus annalium scriptor (l), scribit: Agri pro  
numero cultorum ab uniuersis per uices (m)  
occupantur, quos mox inter se secundum  
dignitationem partiuntur. Facilitatem par  
tiendi camporum spatia praestant

§. 8

Quibus praemisissis fluit, hac ætate ultima  
nulla inueniri retractus incunabula

Hinc nul  
lus retra  
ctus

§. 9

Deinde terrarum, quas Germani coadu  
natis occuparunt uiribus et quarum fructibus  
promiscue haectenus fuere usi, mox singuli sin  
gulas per diuisionem (n) uel per usum heredi  
tario iure adquisiuere particulas; dominium ta  
men toti familiae erat commune, ut singula  
eius capita de iis disponendi facultatem non  
habuissent (o)

Post distin  
ctas habe  
bant pro  
prietates,  
quarum  
domini  
um uniuersae fami  
liae erat  
commune

B 2

---

(l) aureo de moribus Germanorum libello C. 26, §. 2  
et 3

(m) per uicos legit Cluuerius in Germania antiqua  
L. 1, C. 13, p. 108

(n) Tacitus c. 1.

(o) Leyser in Med. ad ff. Vol. III, Spec. 193, p. 460

Nullus hic  
quoque re  
tractus

§. 10  
Quum nemo ibit inficias, commerciorum  
usum ignorasse Germanos (p), quumque do  
minium toti domui competiit; prono sequi  
tur alueo neque permutare neque uendere li  
cuisse: ideo hoc quoque aeuo retractus ius  
ignorauit Germania

Fons retra  
ctus

§. 11  
Postquam uero per uarias migrationes a  
liarum gentium luxuriosum uiuendi genus di  
dicissent atque negotia circa praedia contra  
henda ipsorum luxus atque lusus introduxis  
set, familiarum patres, quorum posteris fun  
dos paternos alienis in manibus uidere satis  
erat lugubre, sensim sibi sumebant uim ac po  
testatem de agris atque fundis disponendi

Ipsi eius na  
tales

§. 12  
Mox obseruantes Germani, quam pronae  
sint, deminuito patrimonio, familiae ad rui  
nam, coercuerunt immobilium proprietates  
uendendi libertatem. Pristina iure postlimi  
nii reuocantes iura, quum olim alienationes  
prae

---

(p) Interiores simplicibus et antiquius permutatione  
mercium utuntur, Tacitus adlegato libello.

praediorum non essent usitatae sed semper in familia manerent (q), omnem omnino prohibuerunt super terras disponendi libertatem. Facta contra ius alienatione, ob bonorum in familia conseruationem (r) retrahendi (s) facultas sine pretii restitutione dabatur, perinde ac si non fuissent uendita. Casus tamen necessitatis, qui non habet legem, hac cum limitatione erat exemptus, ut agnati retractus iure gauderent

B 3

(q) Tantus fuit olim allodiorum fauor, ut liceret heredibus patris, ab Imperatoria maiestate proscripti, intra annum et diem proprietates ex manu Caesaris uindicare, praeterlapso hoc temporis spatio proprietatibus paternis erant priuati. Calamitosissimi Henrici Leonis historia morem hunc insignem demonstrat. Vid' pluribus Hultaus in memoria iuris publici certi S. R. I., quam ex medio aeuo ope diplomatum eruit, S. II, § 3, p. 10, n. q) Gladous Reichs Historie L. 5, C. 2, § 21, n. i). Dominicus in disquisitione historica de praerogatiua allodiorum C. X, § 4, p. 67, Cap. XIII, § 1, p. 94

(r) Richter in Velir acad. 26 de retractu linearipof 3, n. a) et pos. 5, n. a)

(s) Boehmer in diff. cit. mauult uindicationem dicere C. 1, § 16

Saxonum  
dispositio

§. 13  
Sic etiam (t) apud Saxones (u): *Nulli lice  
at*

(t) Aliarum gentium Germanicarum huc pertinentes  
leges coaceruavit illustris Heineccius in Elementis  
iuris Germ. To. I, L. 2

(u) ut adparet ex Lege Saxonum tit. XIII, §. 2, et tit.  
XVI. Hanc antiquam Saxonum legem et alios iuris  
Teutonici textus, qui de prohibita alienatione fun-  
dorum agunt, Leyser in Medit. ad ff. Vol. III, Spec.  
193, medit. 3, p. 462, ad bona auita ex hac restringit  
ratione, quod bona a maioribus aut parentibus pro-  
fecta, etsi uni ex liberis peculiariter quod ad fructus  
adsignata, tamen communia quodammodo et domi-  
nio totius familiae esse censerentur, atque iniquum  
crederetur, facto unius ex familia ceteros omnes iure  
suo excidere. Quem sequuntur Heineccius in El.  
Iur. Ger. To. I, L. 2, §. 156, Boehmer in cit. diff. et  
alii. Verum enim uero quis antiquus Scriptor, quae  
nam Glossa uetusta, quae iuris Teutonici reliquiae  
hancce iuris retractus introducti rationem indignant,  
Vera enim retractus introducti causa fuit bonorum  
in familia conseruatio ac fauor. Alterum argumen-  
tum, quod Leyserus ex constitutione Friderici I sum-  
sit, nos nihil facit, quum Fridericus Imperator ius re-  
tractus, quod iure Teutonico et usu fori patrii obtine-  
bat, contra Italos iuris Iustiniani Doctores, qui illud  
impro



*at traditionem hereditatis (x) suae facere  
praeter ad ecclesiam uel regi (y): nec here-  
dem suum exheredem faciat. Liber homo,  
qui sub tutela nobilis cuiuslibet erat, qui iam  
in exilium missus est, si hereditatem suam ne-  
cessitate coactus uendere uoluerit, offerat eam  
proximo suo, si ille eam emere noluerit, offe-*

improbarent, in Italiae terris tantum est tuitus. Ipse  
Boehmerus, qui ex qualitate bonorum auctorum re-  
tractus ius fluxisse sibi uidetur, contra suam opinio-  
nem adduxit Codicem Msr. Statuti Hamburgensis,  
quo hoc ius etiam quod ad adquisita fuit retentum.  
Vid. c. diff. C. 1, § 24

(x) Quod Lex in inscriptione Alod dicit, in ipsa dispo-  
sitione hereditatem uocat. Allodium, hereditatem  
ac proprietatem idem denotasse, probatione hic non  
indiget. Vid. tamen antiquos textus apud illustrem Stru-  
uium de allodiis Imperii C. 1, § 3, n. 24). Ibi quo-  
que § 2 chartis atque legibus ueterum demonstrat,  
quod feudis semper opposita fuerint allodia, haecque  
proprietates, patrimonia, bona burgenfatica, heredi-  
tas, fundi et praedia sint adpellata. Ideo Speculator  
Saxon. L. 1, art. 5. Mit vvelchem Gut der man erstirbt,  
das heyft alles Erb, es sey denn Lehen. Sic iure he-  
reditario possidere idem erat, ac in allodium posside-  
re. Dominicus in disqui. hist. C. 1, § 6, in fine

(y) Praxin, ex magna clericorum prouidentia ortam,  
theoriae fuisse contrariam, infinita adtestantur diplo-

*rat tutori uel ei, qui tunc a Rege super ipsas res constitutus est. si nec ille uoluerit, uendat eam cuiunque uoluerit.* Mancipia uero uel dare uel uendere omnino licuit (z)

§ 14

Ad consensum restrictus

Sicuti uarias rerum natura patitur uices, ita et suas retractus est expertus. Satis angustis finibus terrarum alienationes erant circumscriptae et antiquissimum retractus ius tam late patuit, ut insigniter postea fuerit restrictum. Nam alienationes permittebant; iis uero, qui eiusdem erant cognationis, simpliciter licuit contradicere. Hinc inualuit mos, si bona immobilia uenierunt, filiorum aliorum

---

mata super ecclesiarum acquisitionibus, in quibus consensus heredum fuit adhibitus. Hinc recte notatur Leuckfeld in der historischen Beschreibung von dreyen in und bey der guldenen Aue gelegenen Oertern p' 58 a Leysero in Medit' ad ff' Vol. III, Spec' 193, p' 461. Colligit enim, quod Fridericus III, Beichlingiae Comes, in instrumento aliquo coenobio Kelbrano nonnullas possessiones, fauente et concedente filio dat, possessiones has a filii huius matre, Friderici III uxore, prouenisse

(z) Quod postea fuit mutatum. Vid' infra § 15

rumque in familia impetrandi consensum(aa).  
Dato consensu, alienatio subsistebat. Retra

C

(aa) Sic in diplomate Henrici, Marchionis Misnensis, apud clarissimum Buder in der Sammlung ungedruckt Vreckunden p. 438. In quadam scriptura Waltheri dicti de Varila apud cit. Buder P. 1, n. 16, p. 283 sequentia lectu dignissima inueni: *Ego Waltherus, miles, dictus de Varila, renore presentium recognosco publice et protestor, et ad notitiam omnium Christi fidelium ex pio peruenire, quod aream, in qua erat curia, quam felicitis memoriae pater meus inhabitabat, in cuius fundo aedificata est ecclesia, in ueteri ciuitate Winmar cum area, que dicitur Grase Hoff, cum omnibus curiis adiacentibus, ius quoque patronatus, quod mihi in iam dicta ecclesia competebat, pro sex marcis Winmariensis argenti uenditionis titulo distraxi, uxoris meae Iutte, filiorum meorum Hermanni et Waltheri consensu et uoluntate libera accedente. Omnia uero predicta cum memoratis uxore et liberis super altare Petri et Pauli obtuli ac donauimus monasterio Sanctimonialium in Winmar superiori, de quarum rebus prefata tamen pecunia est persoluta.* Euolue, si lubet, diplomata apud Schaten in annal. Paderborn. ad A. 1237, p. 33, ad A. 1265, p. 168 seq., ad A. 1302, p. 169, ad A. 1312, p. 251, 259, Dn. de Ludevig in reliquiis Mscr. To. III, p. 31, 36, 43, 52, 53, 68, 74, 119, 123, et in diff. de obligatione successoris in princ. et cliente. S. R. I. Cap. VI, §. 2, Lit. b), quae extat in

munoz  
muni  
conce  
per  
Judei

Etui uero erat locus, si expetere consensum  
emtor omiserat

§ 15

Saxonum  
instituta  
consen  
sum requi  
rebant

Saxones idem obseruarunt ius, cuius me  
minit Speculator Saxonicus: *VVer uer  
kaeuft sein Gut, und gelobet es ihm aufzulas  
sen uor seinen Herrn, stirbt iener, der es las  
sen soll, sein Sohn ist nicht pflichtig zu lassen,  
er habe es denn selber gelobet (bb). Man mag k  
auch Frauen vvol eigen geben zu yhren leib  
mit der erben laube (cc). Darumb mag kein  
VVeib yhrem manne eingab geben, an yhrem  
eigen, oder an yhrer farenden habe da si es  
yhrem rechten Erben mit empfrembde nach  
ihrem tode (dd). Ohn des Richters Vrlaub  
mag ein Mann sein Eigen vvol uergeben mit  
der Erben Gunst (ee). Ohne der Erben Laub  
und ohne Gericht mag kein Mann sein eigen  
Gut*

---

opusculis miscellis To' 1, L' 1, op' 8, coll' 600 seq.  
Doctissimus Engau in elementis iur' Germ' L' 2,  
§ 339, p' 358.

(bb) L' 1, art' 9 (cc) L' 1, art' 21 (dd) L' 1, art' 31

(ee) L' 1, art' 34

*Gut und seine Leute uergeben (ff). Ver  
giebt er es aber wieder Recht ohnder Erben  
Vrlaub, die Erben moegen sich ihres guthes  
vol unterwinden mit recht, als ob der todt  
waere, der es gab, darum dasfer es nicht uer  
geben moechte (gg). Kein Mann aber, noch  
kein VVeib moegen in Siechbette ihres gutes  
ichts uergeben, das uber funf Schilling uerth,  
on der Erben Vrlaub, noch auch ein VVeib  
on ihres Mannes (hh) urlaub (ii). Dann es  
mag niemandt sein eigen uergeben binnen  
VVeichbild, denn in gehegten Ding und mit  
der Erben Vrlaub (kk)*

§ 16

Saxonum iuri similis est iuris Alemannici

C 2

Nec mi  
nus Ius Ale  
manni  
cum

(ff) Ius Saxonicum Electorale P. 2, Const. 12 hoc de do  
natione potissimum intelligit, quamuis de quavis  
alienatione sit potius hic textus interpretandus. Boeh  
mer in c. diff. C. 1, § 26, p. 36 (gg) L. 1, art. 52

(hh) Ob bonorum inter coniuges communionem su  
per uenditionibus, permutationibus, donationibus  
nullum fere olim factum fuit instrumentum, in quo  
non speciatim coniugis consensus fuerit expressus.  
Heineccius in El. I. Ger. To. 1, L. 1, § 292, p. 237

(ii) Weichb. art. 56 (kk) Weichb. art. 61

dispositio, diuersis in capitulis obuia. Se  
quens locus (ll) praecipue huc pertinet: *Gibt  
einer sein eignes vvider seiner erben vwillen  
bin, und on des Vogts ding, sie sollen fur den  
richter faren, und sollen es uersprechen, und  
der Richter sol es da antvorten den erben*

§ 17

Per iura  
peregrina  
mutata fu  
it data re  
tractus i  
dea, ut ob  
latio ran  
rum facta  
sufficeret

Quum ingens iuris certi (mm) obliuio ob  
malum terrarum statum in Germania pauilla  
tim inualeret, iurisque Romani, quod aequa  
lem utriusque sexus heredibus dat successio  
nem, atque liberrimam de suis facultatibus  
disponendi tam inter uiuos quam mortis  
causa suadet uoluntatem (nn) retractumque  
con

(ll) in Meichneriana editione fol. 66. Vid. pluribus  
Schilteri codex iuris Alemannici feudalis ad Cap.  
LXIII, § 5, et Dominus de Ludevvig in Opusculis  
miscellis To. I, L. 1, Op. 8, coll. 599

(mm) Christianus Gottlob Haltaus in memoria iuris  
publici certi S. R. I. S. I, § 2

(nn) Cuius dispositionis ueram rationem quod ad te  
stamenta indigitauit Thomasius in diss. de origine  
success. testament. Quo minus liberalitas rata ma  
neat, quod ex origine patris uel aui descendunt, ni  
hil prodesse dicitur in L. 19 Cod. de donationibus

consanguinitatis prohibet (oo) sensim ac pe-  
detentim sese commendarent fancita, mores  
in consuetudinem iam uersi et consensu sa-  
pientum (pp) comprobati negligebantur.  
Qua propter rei publicae Germanorum, quo-  
rum familiarum splendor in immobilibus po-  
tissimum consistebat, consentaneum institu-  
tum paullulum deleuit. Germani tamen, pa-

C 3

(oo) Nam per legem 14 Cod. de contrahenda emtione  
Imperatores Valentinianus Iunior, Theodosius Ma-  
gnus et Arcadius sustulerunt retractum dudum proxi-  
mis L. 6 Cod. Theodos. de contrah. emt. concessum  
et in obseruantia fuisse testantur L. 35 ff. de Minoribus,  
L. 38 ff. de R. V., L. 1, ff. de priuilegiis creditorum, nec  
non retractum ex pacto L. 122, §. 3. ff. de uerborum  
obligation. Deinceps ramen ratione conuicanorum  
restitutus L. 1, C. non licere habitat. metrocomiae  
loca sua ad extr. conferre. Conf. Boehmer in diff.  
cit. C. 1, §. 4, Moors in diff. de iure protimeseos S. 1,  
§. 3, n. \*\*) S. 2, §. 23, n. \*\*) et §. 30, n. \*\*). Notatu  
dignus est Plinii locus in epistola II L. VII, ibi: *Ego  
illi, scilicet Corelliae, ex praediis meis, quod uellet et  
quanti uellet, obtuli, exceptis paternis mater-*

*nisque: his enim cedere ne Corelliae quidem possum*  
(pp) i. e. scabinorum, qui, interrogante iudice, iurato  
iudicabant, Haltaus c. 1. S. 1, §. 2, p. 4

trii iuris tenaces familiarumque bonis ueluti incubantes, testamenti factionem arctis limitibus circumscripsere (qq), inueteratumque conseruare studuerunt morem partim per familiae pacta (rr), partim per filiarum renuntiationes (ss) iurato factas; atque ut ius retractus in saluo maneat, uenditorem praediorum adstringebant, ut prius proximis de familia offerret (tt), quam extraneis uenderet. Sic mutata est pristina retractus facies per iuris peregrini amantes

§ 18

(qq) Heineccii diff. hac de materia et Kopp in specimine II iuris Germanici priuati de testamentis Germanorum sub dio conditis uulgo ungehabet und ungehabet

(rr) Clarissimus Engau in elem. iur. Germ. L. 2, § 339

(ss) Omissa filiarum renuntiatione, quod iuris hereditarii secundum iuris Romani scita sint participes, feminas quoque ad retractum admittebant contra retractus naturam. Boehmer in c. diff. C. I, § 22, n. 8

(tt) Eodem modo retractus fit mentio in iure prouinciali Hamburgensi art. 61, quem commentario illustrauit Boehmer c. d., in iure Lubecensi L. III, Tit. 7, art. 1 et in aliis iuribus prouincialibus atque statutis. Illustris Heineccius To. I, L. 2, § 403



Quibus praemissis patescit, retractum et Quo modo fuerit deterioris et melioris fuisse factum conditio mutatus nis. Nam nec mancipia ex post alienari poterant, quod olim licuerat (uu). Illa illa necessitas impetrandi in alienationibus heredum consensum, incommoda maxime, erat subblata, quoniam posteriori aevo oblatio ad emendum alienatori tantum fuerat iniuncta; quae facta, proximus uel qui uellet de familia protimeos ius, si libuit, exercere poterat, contra, nulla facta oblatione, impugnare licuit consanguineo. Antiquo nullum tempus retractui exercendo erat praescriptum, postea uero tempore (xx), intra quod illi praescribi possit, est temperatus (yy). Olim in emtione uenditione, in permutatione, in donatione, in heredis institutione, datione in dotem et

- 
- (uu) uid' supra §. 13      (xx) De tempore, quod retractanti datur, differere supersedemus. Legas, quaeso, inter alios iuris Teutonici textus L. 1, art. 34 Speculatoris Sax': Ehr behalt denn das gut lediglichen in seinen geuveren Iar und Tag, et L. 2, art. 44 initio  
(yy) Engau in elem' iur. Germ' L. 3, §. 77, n.\*)

in oppignoratione locum habuit (zz); uerum  
in emtione uenditione praecipue (a), inue-  
ctis iuribus peregrinis, remansit. Caeteras  
iuris retractus, diuersis temporibus usitati,  
differentias breuitatis studio omittimus (b)

§ 19

Orta di-  
stinctione  
inter auita  
et adquisi-  
tam in pro-  
uinciis in  
auitis re-  
tentus

Sequenti aeuo (c) et in aliis repraesentata  
retra

- 
- (zz) Legum Germanicarum huc pertinentes textus at-  
que diplomata sunt passim obuia
- (a) Antiquum retractus ius consuetudine quibusdam  
in prouinciis fuit retentum, ut Francofurti ad Moe-  
num, quo Ganerbii retrahere possunt res non solum  
uenditas, sed etiam quacunque alia ratione alienatas.  
Moors in diff. de Iure protimeseos S. 2, § 28, § 3, ibi  
uerba statuti
- (b) uid. supra § 12 ibi; nulla pretii restitutio; et § 17  
n. SS. Euoluas, amabo, Dominum de Ludevvig  
in Opusculis miscellis To. I, L. 1, Op. 8 coll. 600
- (c) Saeculo nempe decimo quarto. In priuilegio Ca-  
roli IV anno 1350 Friedbergensibus concesso in Grund-  
lichen Bericht uon der Burg Friedberg P. II, p. 11 dici-  
tur: Vnd geben und thun sy mit Crafft dis Brifs das  
niemant uf ir libe oder uf ir Gut, is sey Eigen, Erbe,  
Lehen, Phantgut oder vvy is genannt ist, sy landen,  
heischen oder beclagen sul oder mag. Plura uide  
apud illustrem Struuium de allodiis Imperii C. 1, § 2,

retractus imago quibusdam in prouinciis moribus diuturnis, qui legis uim habent, fuit mutata, quum distinctio immobilium in auita (d) innotesceret et adquisita, exceptis illis locis, in quibus ius antiquum uel in totum uel secundum quid fuit retentum. Solum enim in auitis retractum (e) permittebant, quod auita uniuersae familiae sint communia, quorum alienatio, insciis iis, qui erant de familia, haud fieri posset. Adquisitorum uero omnis omnino alienatio erat licita

D

n. 15. Iura prouincialia et statuta, in quibus haec reperitur diuisio, sunt nouiora recepto iure Romano, ut statutum Hamburgense. Vid. Boehmer c. diff. C. 1, §. 14

(d) Quorum uaria nomina in statutis et apud ICtos maxime frequentia uide apud Schotelium in singulis quibusdam et antiquis in Germania iuribus et obseruatis C. 1, §. 20, p. 16. M. Antonii Dominici historica disquisitio de praerogatiua allodiorum C. 1, §. 5 seq. Quatenam bona dicantur auita, satis explicarunt ICti. Interea notes spuriam bonorum auitorum distinctionem, de qua loquitur Glossa ad art. 52 L. II Iur. Prou. Sax. Vid. Coleri Decis. XV, n. 15

(e) *Quod ius protimeseos dein ad auita praedia restrictum.* Engau. in cit. elem. L. 3, §. 77

Qua ex bo-  
norum di-  
uisione or-  
tum esse re-  
tractum  
putat Boeh-  
mer

§. 20  
Ad effectum huius distinctionis retractus  
gentilicii originem refert Boehmer (f). Sed  
quum haec distinctio antiquis in Germaniae  
institutis non sit fundata (g) et antiquae ta-  
bulae, quas adfert Boehmer (h) ad ueteres  
Gallos potissimum pertineant, retractusque  
antiquior sit hac distinctione, nec minus in  
adquisitis quam in auitis fuerit usitatus, iuris  
nostri gentilicii natales antiquiores esse intel-  
ligit talpa caecior

Ius uetus  
sequitur  
Thuringi-  
a; e contra  
rio terrae  
Saxonum  
electora-  
les

§. 21  
Thuringia (i) antiquum reuocandi mo-  
dum ad nostra retinuit tempora, ita ut in bo-  
nis non auitis locum habeat et admittantur  
colla

---

(f) cit. diff. C. 1, §. 19

(g) Concedamus, hancce diuisionem ante haec tem-  
pora iam fuisse notam, ignota tamen fuit ratione re-  
tractus; quum in retractus materia, ut in successio-  
ne, et auita et adquisita communi nomine diceren-  
tur allodia, Struu in tr. de allodiis Imperii C. 1, §. 4

(h) c. 1. C. 1, §. 10

(i) in Tractu ad Rhenum et in agro Francofurtensi re-  
tractus ad adquisita quoque porrigitur. Moors diff.  
cit. S. 2, §. 39 n. \*\*\*\*)

collaterales (k); cui consuetudini contradicit Lyncker Struuii aliorumque auctoritate mutus (l). Terrae autem Saxonum electorales propter constitutionem (m) a communi iure Saxonico receserunt, quod distinctionem obseruent atque collaterales non admittant

§. 22

Haec fuit retractus nostri apud plurimos Germaniae populos origo. Facta eorum, familiarum splendori inseruientia, clare ostendunt, eos ante oculos habuisse, coadunatis uiribus magis rempublicam conseruari posse quam bonorum diuortii. Cur paulatim quaedam superaddita, quaedam pedetentim immutata, quaedam etiam ex iure Romano re

D 2

---

(k) Colerus decis. 15, n. 42, et decis. 23, n. 2, Richter decis. 76, n. 34 et 41 seq. Beyer in delineat. Iur. Germ. L. 2, C. 21, §. 23, seq.

(l) resol. 218. Contra Lynckerum loquitur et Thuringiae et facultatis Ienensis obseruantia perpetua

(m) P. 2, Const. 31. Quenam fuerit causa? Ratio est in numero, huius constitutionis conditores pro illo temporis statu iure ciuili quidem fuisse imbutos, sed leuiter iure ac moribus patriis

cepta sint, rationes peculiare euoluendi ope  
ram nobis dedimus

§. 23

Leyseri de  
origine  
opinio

Recentioris originis esse retractum con  
sanguinitatis statuit Leyser (n). *Et, inquit,*  
*si omnia recte considero, Fridericum I Impe*  
*ratorem primo retractum hunc instituisse,*  
*credo.* Argumenta uero, quibus antiquitus  
haud fuisse constitutum demonstrare sibi ui  
detur, sunt uel contra historiam uel huc non  
quadrant. Nam quem mouebit initium di  
ctae constitutionis (o), quae, Italica lata, solos  
Italos obligat (p)

§. 24

(n) in Vol. III Medic' ad ff Specim' 193, p' 461. Cum  
pace cumque uenia Leyseri atque ipsorum, si qui sunt,  
qui Leyseri auctoritate capiuntur, hoc sic dictum

(o) quae tit' 13 Lib' V Feudorum extat

(p) Nullus iam dubitat, qui legit Boehmer in diff' cit'  
C' 1, § 8 et Moors in diff' cit' S' 1, § 14, n' \*\*). Equi  
dem Schilter in Exerc' ad ff 30, § 138 existimat a Fri  
derico I retractum hac lege in Imperio R' G' fuisse  
confirmatum et retentum. Sed ipse Leyserus eam  
quam maxime dubiae auctoritatis nostris in foris  
esse ostendit c' 1' med' 3, ut qui se in illa fundaret, eius  
receptionem probari oporteret, quum omnis uis et

Non defunt, qui olim et nostra aetate hanc sole clariorem ueritatem sunt amplexi. Sic Schilterus (q), Heineccius (r), Engau (s) atque alii retractum nostrum moribus Teutonicarum gentium semper obtinuisse credunt

Enarratur anti  
quorem  
statuentes  
originem

Eruta origine, breuibus liceat dicere: numne uniuersaliter hodie in Germania obtineat, necne? Leyser (t) asferit, retractum hunc

Num uni  
uersaliter  
obtineat?

## D 3

obligatio legis peregrinae ex recepto pendeat, Sic quoque tempus retractui gentilitio exercendo in dicta constitutione praefinitum nostris in foris non obtinet, quum ius Teutonicum et speciatim Saxonicum annum et diem indulgeant

(q) Exerc. ad ff. 30, § 138

(r) in Elem. Iur. Germ. To. I, L. 2, § 399

(s) in Elem. Iur. Germ. L. 3, § 77, n. \*

(t) c. 1. med. 2. Schaumburg in annotat. ad Struuii Iurisprud. Rom. Germ. L. 3, tit. 31, aph. 24 ad eandem inclinare uidetur sententiam

non uniuerſaliter in Germania eſſe receptum  
nec receptionem hanc praefumi, ſed ab eo,  
qui in illa ſe fundaret, quod ad prouinciam,  
in qua uiuit, eſſe probandam. Sed quum ſupe-  
rius ob tradita nemo dubitabit, quin ex anti-  
quis Germanorum inſtitutis ſit deriuandus  
iureque Teutonico omni (u) nempe Saxoni-  
co et Alemannico, quibus tota regebatur  
Germania, ſit ſtabilitus, moribus etiam con-  
tra peregrina iura retentus, omnino ille fun-  
datam habet opinionem, qui retractum exer-  
cere cupit, niſi contraria lege ſit ſublatus

§. 26

Sed his diutius immorari TIBI, Illuſtriſſi-  
me atque Excellentiſſime Domine, forte erit  
faſtidium. Quare finem impono, TEque  
maioſrem in modum oro, ut fronte accipias  
ſerena non uelut ex ebore curuli pronuntia-  
ta, ſed eo fine exarata, ut mihi notiora fiant  
Germa

(u) Heineccius To. I, L. 2, §. 404, Moors diff. c. 5. 2  
§. 23, n. 4



Germanorum institutorum rudera, utque Ca-  
lendis Ianuariis, quae uota poscunt, pro mea  
in TE inseruirem ueneratione. Sane quam  
mihi gratum atque optatum est intelligere,  
TE, Heros progenitoribus maiorum et pro-  
priis gloriae insignibus Illustrissime, ueterem  
feliciter absoluisse annum, nouumque nouis  
inchoasse animi corporisque uiribus. Qua  
de prospera fortuna TIBI, Maecenas Indul-  
gentissime, ea, qua decet, gratulor pietate,  
summumque Numen adcuratissimis rogo  
precibus, ut perpetuam TIBI clementissime  
indulgeat felicitatem, et aularum, in quibus  
gratia auctoritate ac gloria flores eximia, sum-  
ma dirigens dicasteria non sapphiro et auro  
sed coeli imagine iustitiae splendore conspi-  
cua (x), decus et ornamentum esse sinat per-  
petuum; seruet quoque Illustrissimam emen-  
datissimi exempli Heroinam, et seruet omnem  
TVAM Perillustrem prolem, quae TIBI cara

---

(x) Babylone dicasterium regis, non sapphiro et auro  
tantum conspicuum, sed etiam coeli imaginem cum  
Diis referebat, Philostratus in Apollonii uita L. I,  
Cap. 18

est, quaeque auitam maiorum TVORVM se  
quitur gloriam. Qua omni optandarum re  
rum copia, quo felicissimo Illustrissimae Gen  
tis TVAE statu, cuius memoria multis in pro  
uinciis, quoad fuerint homines, uenerabilis  
erit ac sacrosancta, mihi non deerit occasio,  
utraque, quod aiunt, manu apprehendenda,  
quin obsequium debitae pietatis tester, ne in  
posterum me TVA indignum iudices gratia;  
hinc mihi diu sub TVO patrocinio  
uiuere continget exopta  
tissimo



Hi 2266

(+ 2252149)







B.I.G.

Farbkarte #13

24

171.11. num. 0.

25.11. 25.19.

13

V I R O  
 ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
 DOMINO  
 GEORGIO VVILHELMO  
 LIBERO S·R·G·I·BARONI  
 DE REINBABEN  
 DYNASTAE ROHRBACHII  
 SERENISSIMORVM ATQVE CELSISSIMORVM  
 PRINCIPVM  
 SAXO VINAR· COBURG· ET Salfeldensis  
 INTIMO STATVS ADMINISTRO  
 CONSILII SANCTIORIS  
 ALIORVMQVE SVMMORVM COLLEGIORVM  
 PRAESIDI EMINENTISSIMO  
 ORDINIS SAXONICI EQVITVM VIGILANTIAE  
 EQVITI ET CANCELLARIO  
 HEROI IN TOGA SPLENDIDISSIMO  
 DOMINO AC MVSAGETAE SVO  
 GRATIOSISSIMO  
 NOVI ANNI AVSPICII  
 VENERABVNDa GRATVLATVR MENTE  
 SIMVLQVE  
 RETRACTVS GENTILICII MEDIO AEO VSITATI  
 MEMORIAM VERE GERMANICAM  
 EX VETVSTATE LEGVM  
 ERVIT TANTI NOMINIS  
 CVLTOR DEVOTISSIMVS  
 BERNH· FRIEDER· RVD· LAVHN  
 IVRIVM CVLTOR

P. 197

Hi 2266



VINARIAE LITTERIS MUMBACHIANIS CIO 19CC XXXIII